



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

2. Personam carissimi &c. Excommunicatio contra omnes inimicos Regis
Angliæ, & Invasores Regni: anno 1317.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74452)

ANN O
1317.

hanc paginam nostræ inductionis, promulgationis, absolutionis, & constitutionis, & iritationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & beatorum Petri, & Pauli, Apostolorum ejus, se noverit incursum. Datum Avinion. Calendas Januarii Pontificatus nostri Anno primo.

II.
Ex Arch.
Angliæ Ri-
mer Tom. 3.
pag. 619.

Excommunicatio contra omnes Inimicos Regis Angliæ, & Invasores Regni: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Cantuariensi, & Vintoniensi, ac Elyensi Episcopis, salutem & Apostolicam Benedictionem.

Personam carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ illustris, ejusque Regnum inclitum, ea dilectionis sinceritate protequimur, ut suum dictique Regni statum, à guerrarum fluctibus liberum, & à discriminibus turbationis immunem, paternis desideriis affectantes ad procurandum tranquillitatem & quietem illius, opportunum Apostolicæ Sedis favorem, quantum cum Deo possumus liberaliter impendamus, quantum Rex ipse, securitate sibi ab insidiis aemulorum indulta utilitatibus propriis liberius possit intendere, seque ad assumendum negotium Terræ Sanctæ, nostris præcordiis non mediocriter insidens, ad quod, ut asserit ferventer anhelat, habilis valeat præparare. Cum itaque, sicut displicenter audivimus, nonnulli Nobiles, & Magnates, Regem ipsum, & Regnum Angliæ, ac Terram suam Hiberniæ, invadere ausu nitantur illicito; nos, eorum in hac parte conatibus opportunis obviare remediis cupientes, & ad id expedire censes, spirituales gladium exerci in omnes & singulos, cujuscumque sint præminentia, dignitatis, aut status, qui Regem ipsum, Regnum, & Terram prædictam invadere, aut Regnum ipsum, & Terram contra Regem eundem, cum armis, vel sine armis intrare præsumpserint, vel aliis intransibus ipsis, ut præmittitur, seu invasoribus, in pecunia, equis, armis, vel aliis præstiterint auxilium, consilium, vel favorem publicum, vel occultum, Excommunicationis sententiam promulgamus, à qua eos sine speciali mandato Sedis Apostolicæ, nisi forsan in mortis articulo, prohibemus absolvi: In quo si fuerint absoluti, & ipsos contigerit sanitati restitui, nisi satisfecerint infra mensem, eadem sententia ligari volumus eo ipso. Quocirca Fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quantum vos, vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, hujusmodi Excommunicationis sententiam ubicumque expedire videritis & præcipue in locis maritimis, seu mari vicinis solenniter publicetis. Non obstante si alicui, vel aliquibus, sub quacumque forma, vel conceptione verborum, à Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari non possint per litteras sedis ejusdem, non facientes plenam, & expressam, ac de ver-

ANN O
1317.

bo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentiam, generali vel speciali cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam effectus præsentium impediatur, vel quomodolibet retardari. Datum Avinion. quarto Calendas Aprilis Pontificatus nostri Anno primo.

Super Roberto de Brus, & Eduardo Fratre excommunicandis: anno 1317.

JOANNES EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Dublinensi, & Cessellensi Archiepiscopis; ac dilecto filio Decano Ecclesiæ Dublinensis salutem & Apostolicam benedictionem.

Habet insinatio pro parte carissimi in Christo filii nostri Eduardi Regis Angliæ, noviter facta nobis quod Robertus de Brus, dudum Comes de Carrick, & Eduardus Frater ejus, in eam ab olim prorupere furoris audaciam, quod Homagium & fidelitatis iuramentum, per eos præstita, claræ memoriæ, Eduardo Regi Angliæ, Regis genitori prædicti, temeritate prætereuntes damnabili, & observantiæ culturâ debitæ non colentes, eidem Genitori, dum viveret in Terra sua Scotiæ effrænatis ausibus guerrarum moverunt, quantum contra Regem ipsum post gubernacula Regni ab ipso suscepta, reproba continuante prosecutione, quin etiam Dei timore postposito, & omni fidelitatis fœdere violato, in augmentum sceleris adaugentes, Regnum Angliæ, ac Terras Valliæ & Hiberniæ invaserunt hostiliter, & depopulatis agris quamplures Civitates, Castra, & alia plura loca in ipsis, Regno & Terra proditorialiter occuparunt, personis pluribus tam in Regno, quam in Terris prædictis etiam in locis sacris sine delectu conditionis sexus, ordinis, vel ætatis, in ore gladii trucidatis immaniter, & multis exulare coactis. Et nihilominus nec sacrilegium execrantes, nec incendiariorum pœnas horrentes, Aedes Sacras, Ecclesias, & monasteria, ac Loca Religiosa, divino culti dedicata destruere ac comburere, Dei calcata reverentia, nequiter præsumpserunt, bonis & rebus, sistentibus inibi, quæ poterunt ab incendio præservari furtivis manibus non sine reatu sacrilegii asportatis. Ex quibus in partibus illis Divinus cultus est non leviter diminutus, fidei & devotio Christiana notabiliter tepuerunt & dictus Rex in Regaliis suis grande subiit, & subit jugiter detrimentum; unde ad assumptionem ultra marini passagii, ad quod, ut asserit ferventer anhelat, minus habilis redditur, & multipliciter impeditur. Nos igitur, excessus hujusmodi, quos in partibus illis, sicut audivimus, & facti evidentia, & quasi communis assertio publicat, eò magis horrentes, quò eis displicibitiores esse novimus Regi pacifico, cujus vices gerimus in Terris, licet immeriti quove ipsos in Regnum Angliæ, Ecclesiæ Romanæ præcarum, ac Terras prædictas, & in Regis prædicti personam, quem, veluti Filium prædilectum, specialiter inter brachia caritatis internæ complectimur, cernimus fuisse commissos; & proinde tam excedentium saluti prospicere quam Regis occur-

III.
Ex Arch.
Ang. Rimer.
Tom. 3. pag.
620.